

2 Pars prima. Dialogus primus.

PAZZIUS. Auspicatò adsis, optime Rocchi : at ne putas
michi novum esse Gennari nomen ; imo noveris lectum à
me ex integro fere jam ter fuisse opusculum illius dogma-
ticum *adversus atomos redivivas* inscriptum, ac plurimum
lector, quòd tu perlegeris, ut indubitanter opinor non mi-
nus ad lectioinem illius bilim tuam effebuisse, quā cor
meum dilatari cœpit, ubi vel ex nudo titulo intellexi,
si quid vitæ per doctrinas Cartesii, Gassendi & Maigna-
ni atomis nuper redditum fuerit, id doctrinā Gennari re-
lapsurum in oblivionem esse, & sub irrevocando perpetui
silentii fato comprimentum. Tum verò, mi Rocchi, ex
quo tam doctum opusculum evolvisti, dic pro ingenuitate,
quā vales, an non te pudeat nugacissimis illis atomorum
confitionibus tamdiu adhæsisse, vel præsertim quia te aut
nunc, aut nusquam convictum esse necesse est conciliari
illas non posse cum Fide Sacramenti Venerabilis Eucha-
ristici. Et sane, quasi conjiciens te à te ipso mutatum,
gratulor quòd posthac designaberis tueri anilitates illas
atomorum, antiquas illas futilitates, fabulosa illa delitia
ac mendacia vana, unde & quòd multæ hæreses enatae
fuerint, dolendum, & quòd æque multæ sint enascituræ,
timendum est, nisi radix tam pestifera præcidiatur.

ROCCHIUS. Bene est, mi Pazzi, perge modò, nec co-
hibe incitamentum fastidii, quod, ut video, in te crevit,
derisorie ac malignanter evomentis atomos istas; quin &
permisso transitu ad Atomitas ab atomis, voca nugaces,
stolidos, errori addicatos, hæresi proximos, accumula
iras, junge furores, vibra minas utut volueris: sed tan-
dem redi, precor, ad te ipsum, & audi ad quid tibi
proponendum me compulerit liber iste Gennari.

PAZZIUS. Audiam perlubenter.

ROCCHIUS. Cum integra percursione libri istius serium,
ut soleo, conjunxi studium, & dubitans sitne in eo ali-
quid solidi, quod deprehendere per me ipsum non potue-

11.
Proponitur
examen pre-
dicti opul-